



Illustrem Laticlavii Tunicam

VIRO

Praenobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo

DOMINO

JOHANNI JOB

Secretario Regio Dexterrimo,

Cum solenni illa comitorum die,

Auspiciis Consularibus consecrata,

(quod erat d. XXX, August, A. O. R. MDCCXI.)

In Incluta

CIVITATE LIPSIENSI

omnium suffragiis pariter ac studiis

in

ORDINEM SENATORIUM

cooptatus esset,

alacri calamo, affectu puro

gratulatur

M. Joh. Christ. Leonhardi,

Chemnicensis.

LIPSIÆ, LITERIS ZEIDLERIANIS.



Li celebriora urbium ornamenta ac spectacula descripserunt, oculisque domi peregrinantium subjecerunt, non solum *CURIAS*, *Antverpianam* (a), *Amstelodamensem* (b), *Parisiensem* (c), *Lugdunensem Galliae* (d), *Aquisgranensem* (e), *Coloniensem ad Rhenum* (f), *Louaniensem* (g), *Vesontinam* (h), *Campensem in Transilvania* (i), *Norimbergensem* & *Augulianam* (k), *Venetam* (l), *Dantiscanam* (m), *Toruniensem in Prussia* (n), *Bremensem* & c. (o), dignas judicant, quas in monumentis suis Topographiis commemorarent; sed & *Lipsiensem* (p), non ita incelebrem, non ita ingloriam aut ignobilem deprehenderunt, ut jure praetermitterent, Quemadmodum enim inclutae hujus ciuitatis germana gloria est, quod, ut *ROMANI CONSULIS* uerba huc traham (q), sit urbs & natura & sita & descriptione aedificiorum & pulchritudine in primis nobilis; ita sane *CURIAE* suus honor, sua dignitas, & suaque ornamenta non defunt. Et si solidae laudis, ueraeque dignitatis, quae non in toreumatibus, imaginibus, statuis, tectorumque fastigiis posita est, rationem habeas, quis non dicat, *CURIAM LIPSIENSEM* cum quauis alia comparandam esse? Heic enim Alma iustitia theatra sua locauit & in recti ac aequi praesidium Viros bono publico natos ostendit;

Cristis superbit non male ciuitas

In qua beata floret usque

Religio, FORUM, domusque (r).

Et uti *CURIA* centrum urbis occupat; ita non male de ea cecinit Poeta (s):

Illu loco subeat puncti: media haeret in urbe

Unde boni ueniunt mores: nascuntur & unde

Mater religio, preciosaque muneru pacis:

Hoc medio fluere a puncto JUS debet ad omnes

(Aequa sit haec mensura) domos atque omnis abesse

Præceps affectus & c.

Heic

(a) Cujus descriptionem & typum uid. ap. Seriban. in Antverpia, & Guicciardin. in Belgio sub Antverpia. (b) uide Caesium in ejus urbis descriptione lib. 4. in pr. p. m. 206. (c) uide typum exhibitum a Meriano in Topogr. Gall. part. 1. (d) ibid. part. 5. f. 10. (e) In Topograph. Westph. f. 6. (f) uid. Zeiler in Topogr. Archiepisc. Colon. sub illa urbe. (g) uid. ejusd. Itinerarium Germ. & Topogr. Germ. Infer. f. 64. c. 20. n. 10. (h) ibid. c. 27. n. 4. (i) ibid. c. 30. n. 30. (k) uid. Knipfchild. de Ciuit. Imperial. lib. 3. c. 3. n. 24. & Felvving in disert. polit. de Urbe part. 3. th. 7. typos uid. apud Merian. (l) uid. Pflaumer. in Merc. Ital. sub illa urbe p. n. 11. (m) uid. Cellar. in Descript. Poloniae p. 473. (n) uid. Starouolse. in Polon. sub Prussia. (o) uid. Zeil. in Itin. in not. ad fol. 364. (p) uid. Zeiler. c. 4. n. 13. & Abelinum in Theat. Europ. f. 190. (q) de lege Agraria contra P. Seruiliu Rullum 74. a. (r) M. Conradus Bavarus, Halenf. Poet. Prof. P. in laudem Lipsiae. An, 1609. (s) Ezechias Fabricius, Elyf. M. in Paegyri Lipsiae pronuntiata A. 1509. d. 12. Cal. April.

Heic praesident, clauumq; reipublicae & gubernacula urbistenent Viri. Senesq; non intra ciuitatis limites famam terminare, sed extra fines regnorum efferre nomen soliti, *REGIBUSQUE & PRINCIPIBUS* cari & apprime dilecti. Hoc in confessu Amplissimorum Virorum consilia conferuntur non euentu aut casu probanda, sed ratione sapientiaque firmata; non de pascuis rixisque nugatoriis, sed de rebus summis grauisimisque, *CURIA* tantorum Virorum templum est sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portus ciuim (t). Quot sedent Senatores, tot Viros principes salutis urbanae, tot custodes reipublicae, praesides propugnatoresque numerare licet. Et, ut uerbo rem expedi- am, quisquis *CURIAM LIPSIENSEM* ornare & in *ORDINEM SENATORIUM* adlegi cupit, auctoritate, meritorumque amplitudine floreat, famae claritate polleat, consiliique plenus sit oportet. Vix triduum elapsum est, cum *TU*, *Amplissime JOB*, omnium cum gratulatione in solenni Panegyri comitali Consilii publici Dominis & Patribus *REIPUBLICAE LIPSIENSIS* conscriptis annumeratus, tunicam laticlauii in Senatoribus conspicuam (u) indueres. Quis inde non percipit, tantam peritiae ac prudentiae Tuae esse dignitatem & praestantiam, ut à Republica, cui cordi sunt praeclara ac salutaria consilia, abesse non possis? Tot monumenta loquuntur, Te esse Virum πολιτι- κώτατον, magni iudicii, summaeque facultatis; Quin imo facile iudicari potest, eum, qui tot urbium non solum notitiam, sed & tot imperiorum, regnorum, rerumque publicarum ordinem formamque tenet; qui non raro uidit, quomodo quisque in republica gubernanda se gesserit, quibus moribus; institutis, legibusque temperandae sint ciuitatis, quibus illae modis fundari atque institui, quibus augeri atque amplificari, quibus denique copiosissimae, beatissimaeque effici possint, cum, inquam, salutarem operam illi Reipublicae praestare posse, à qua in consilium euocatus est. Si quid enim prudentiam acuit, iudicium format, historia est. Quas autè non res gestas uidisti, quam non saepe consuluisti testem illam temporum, lucem ueritatis, uitam memoriae, magistram uitae, nunciam uetustatis historiam (x). Heic enim omnis exempli documenta in illustri posita intui- tus es, ut inde Tibi, Tuaeque nunc reipublicae, quod imiteris, caperes; inde quod foedum inceptu, foedum exitu, uites (y). Peream omnibus bellis sine periculo interesse licet, omnia simul loca intueri, infini- tas res gestas cognoscere, quae ab Assyriis, quae ab Aegyptiis quae à Me- dis quae à Graecis facta sunt. Bellò nunc concionis mediae consilii ades- se possumus; Cum Themistocle nunc in mari, nunc cum Leonide in ter- ra pugnare; cum Agesilao nunc trajicere, nunc cum Xenophonte incolu- mes redire & cum Ulyssè, qui ea de causa sapiens dictus est,

Μυλων μορες hominum lustrare, ut est urbes. (z)

Aut si cum *CRUCIO* loqui licet, ad bellum duci milites uidisti & accendi ad pugnam, urbes obsideri & capi; Rubiconem transire cum Caesare, e- umque in campis Pharfalicis cum Pompejo proclium ineuntem comitari licuit; Carthaginem excindere cum scipione; Alpes penetrare cum Annibale, pacis autinduciarum condiciones pacisci, leges condere, for- mare Principem, Legationibus defungi, regere populum, & reipublicae habenas moderari Tibi uisus es. At enim uero non solum quid in orbe geratur aut gestum sit nouisse satis est, sed & à claris & elegantibus inge- niis

(t) Cic. pro Milon, 119. a. (u) uind. Hildebr. Antiqu. Rom. p. 442. (x) Cic. de Orat. III. b. (y) Li- uius in Praef. (z) Maximus Tyrius dial. 12.

nis inuestigatur probe, qui illi fuerint Viri, qui uel laudem, uel ignominiam
 tulerunt. Unde stirpium & illustrium familiarum nexus, fata, honores, prae-
 mia, decora & ornamenta Tibi, qui ab illa doctrinae parte magnam homi-
 num opinionem adeptus es, non penitus cognita esse non possunt. Quae
 hac in parte *LAZIUS, HENNINGIUS, ALBIZIUS, REUSNERUS, BUCELINUS, RITTERSHUSIUS, BLONDELLUS, CHIFFLETTIUS, SPENERUS, PFANNERUS*, & qui loco omnium est, *Illustris IMHOFFIUS* enarrarunt, Tecum habitare Tibique plane familiaria esse
 censenda sunt. At & qui in recentiorum temporum Genealogiis recte
 uersari gestiunt, quis dubitet cunctos ex Tuo fonte haurire, Tuamque potis-
 simum sequi fidem posse? Haec tamen, quae ad prudentiam faciunt omnia,
 conjuncta sunt cum caeteris dotibus amabilibus uirtutum praeclarissi-
 marum. Quae ardua sunt negotia taediumque aut moram non patiun-
 tur, alacritate atque sedulitate Tua facile uincuntur; cui tamen uirtuti e-
 gregiae si non juncta esset animi constantia, succumbere difficultatibus,
 nodis molestisque Tibi uidereris. Ne autem utilis tantum, sed & cari
 apud probos uiri exemplum referres, pietatis, modestiae & integritatis
 laude eminere consueuisti. Haec enim Viris uere praestantibus non po-
 strema cura est, ut praeter uitae innocentiam, etiam, in solentiore spiritu
 conculcato, morum dulcedine socios homines sibi deuinciant. Nempe
 uti altissima quaeque flumina minimo sono labuntur; & sol quo altior
 est, hoc minores jacit umbras; ita praestantiae fama quo quis excelsior, &
 quo quis clarius enitescit, hoc modestior, hoc placidior esse solet. Quid
 dicam de reliquis, quae ad splendorem pariter ac usum faciunt ornamen-
 tis linguarum, eloquentiae & elegantioris doctrinae, quibus laudem *TIBI*
comparasti? sufficit non celasse, operam Tuam, solertiam, agendiq; dex-
 teritatem in *AULA REGIO-ELECTORALI* nostra, aliisque multis Illu-
 stribus personis ita gratam, ita acceptam esse, ut negotiorum publicorum par-
 tem magnam curae ac uigilantiae Tuae traditam administres. Honores ergo,
 ut umbra solem, destituere Te non possunt, & electio, qua nunc accensus
 es huius *INCLUTAE REIPUBLICAE* Proceribus, non laudabilis esse
 non potest. Quid superest, quam ut cum omnibus bonis, cum quibus & ipse
 uehementer gaudeo, gratuler tum *TIBI*, de obtento loco inter in clu-
 sorum hujus ciuitatis arbitros, cum ipsi reipublicae de Viro & Senatore tam e-
 gregio? Accede igitur ad *REMPUBLICAM* & *CURIAM* bonis ama-
 bilem, malis formidabilem, utrisque admirabilem; capeffe locum, quo di-
 gnus es, Vir publice priuatimque clare! Intellige *TE* gerere cum reli-
 quis Collegis Ornatisimis personam ciuitatis, tuumque esse dignitatem
 & decus ejus sustinere, seruare leges, jura describere, eaque fidei tuae com-
 missa esse meminisse! Accede ad eam bonis auspiciis, & gere feliciter,
 quae pro reipublicae salute geris! Faxit Deus immortalis, ut fortunatum
 aliquando in *TE* Senem habeamus, Teque tamdiu omnibus copiis cir-
 cumfluentem atque in omnium rerum abundantia uiuentem mortalium
 rebus interesse finat, donec *PATRIAE*, quae jam *TIBI* adoptata est,
PARENTIQUE ejus *OPTIMO*; donec omnium bonorum desi-
 derio; donec *TIBI*, ornatisimaeque Familiae abunde satis
 feceris. Omnia quae agis, bene uer-
 tat Deus!

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506

KONP

017





Illustrem Laticlavii Tunicam

VIRO

Praenobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo

DOMINO

JOHANNI JOB

exterrimo,

iorum die,

onsecrata,

A.O.R. MDCCXI.)

(quod er

CIV

IPSIENSI

er ac studiis

OR

ATORIUM

et,

ctu puro

Leonhardi,

OLERIANIS.

